



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 25. Hieronymi de Xavierre Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

absolutis Pauli V. comitiis, cum pur-  
 puram exuere non permetteretur, sal-  
 tem recessum ad Patres Oratorii im-  
 petrabat, ubi aliquot annis in summa  
 pietate exactis Romæ undecima die Ju-  
 nii annos natus ferme octoginta tres  
 non sine insignium virtutum & signorum  
 fama Spiritum Deo reddidit, in Tem-  
 plo Sanctæ Mariæ in Vallicella eodem  
 tumulo, quo Baronius Cardinalis, re-  
 conditus: Erat Regularis observantiæ  
 cultor ac promotor eximius, immuni-  
 tatis Ecclesiasticæ vindex oppido stre-  
 nuus, Franciæ Episcoporum oraculum,  
 ac hæreticorum, quos magno numero  
 ad Catholicam fidem reduxerat, Pa-  
 rens amantissimus. Eximia vero illius  
 charitas maxime tum emicuit, cum Je-  
 suits ex Gallis pulsos excepit, & de-  
 ficientibus annuis redditibus, vasa ar-  
 gentea & cubiculorum ornamenta, quæ  
 pro vere pauperum sublevamine reser-  
 vata erant, vendidit.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1608.

§. XXV.

*Hieronymi de Xavierre Cardinalis  
 decessus.*

Non minus celebrem eruditionis, ac  
 pietatis famam post se reliquerat  
 Hieronymus Xavierre ex nobilissima  
 stirpe Cæsaraugustæ in Arragonia or-  
 tus,

Ciacon. in  
 vita Paul. V.  
 Michael de  
 Vir. Illust.  
 Ord. Præd.

Y 2

Sæc. XVII. tus, qui Sancti Dominici Instituto ju-  
 A. C. 1608. venis nomen dederat, ac Salmantice  
 studiis Philosophicis, sacrisque decur-  
*Porregr. in* in patria Philosophiam, sacrasque liti-  
*elog. Card.* ras per annos plurimos publice professus,  
*Hisp.* nascente ibidem recens Academia ut-  
 ramque facultatem summa nominis sui  
 laude, ac ingenti studiorum proventu  
 tradebat; erat enim ingenio subtili &  
 claro, in disputando acerrimus, in re-  
 spondendo solidissimus, atque ob ad-  
 mirabilem prudentiam, incorruptam in-  
 tegritatem, singularemque pietatem  
 non sibi sed bono publico natus: quo-  
 circa meritorum suffragio Provincia  
 suæ Præfectus, ac Philippi II. Hispa-  
 niæ Regis jussu omnium Arragonen-  
 sium Sancti Benedicti conventuum, nec  
 non Collegii Vallisoletani Visitator no-  
 minabatur: ac paulopost anno sæculi  
 Sacro Romam missus in locum extincti  
 Hyppoliti Mariæ, totius Ordinis sui  
 Generalis eligitur, ubi biennio post in  
 comitiis edito decreto stricte inhibuit  
 ne quis auderet prædicare vel docere  
 quod Beata Virgo fuerit in labe origi-  
 nali concepta. Jam anno Christi mil-  
 lesimo quingentesimo nonagesimo nono  
 agitatis Romæ controversiis de gratia  
 interfuit, litemque componere satagens  
 profitebatur, sibi nec suo Ordini rem-  
 esse cum universa Societate, sed duntaxat

xat cum Molina, cujus unius Viri causam a tota Societate propugnari haud suspicaretur: fervente tamen postea communi incendio semper solemnibus disputationibus coram Clemente VIII. & Paulo V. adstitit, solutis vero congressibus in Hispanias reversus Philippo III. Regi Catholico a confessionibus, a Sacris, & ab intimis consiliis fuit usque ad annum Domini millesimum sexcentesium septimum, quo ad preces ejusdem Regis Purpuratorum Collegio a Paulo V. adscriptus, dum iter Romam adornaret, duodecima Septembris Vallisoleti ætatis suæ anno sexagesimo secundo inopinato morbo e vita decessit, non sine maximo suorum luctu. Corpus ejus Cæsaraugustam translatum ibidem nobili sarcophago conditum quiescit.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1608.

§. XXVI.

*Alphonsus Vicecomes Cardinalis fati-  
 fundus.*

Postremus denique inter Purpuratos hoc anno defunctos erat Alphonsus Visconti seu Vicecomes natione Italus, patria Mediolanensis, qui anno Incarnationis Dominicæ quinquagesimo secundo supra millesimum quingentesimum primam lucem aspexit, atque in primo ætatis suæ flore in Papiensi Gym-

*Ciacon. in  
 vita Clem.  
 VIII. Ug-  
 hell. in ad-  
 dit. ad Cia-  
 con.*